

ETAPHYS.
... Tomus.
... :

7



Nf. 27.



42 40.

Q. D. B. V.

Furtum rei propriae
certo casu commissum
esse

Disputatione Morali

ad diem Septembr.

A. C. M. DC. LXXXVII.

publicè
demonstrabunt

PRÆSES

M. JOHANNES HIERONYMUS
DE WEDIG, Hallensis,

&

RESPONDENS

JOHANNES CHRISTOPHORUS Stange /
Longosal. Thuring.

H. L. Q. C.



WITTENBERGÆ,

Imprimebat MATTHÆUS HENCKELIUS, Acad. Typogr.

1034

see 41



VIRIS

In Patriæ Solatium Natis atqve Magnificis
Præ-Nobilissimo, Excellentissimo Consultissimoqve,
DNO. D. JOHANNI CHRISTOPH.
Herolden/ JCto Magno,
Et Serenissimi Electoris Brandenburgici in Ducatu Mag-
deburgensi Consiliario Aulæ, Justitiæ, Consistorii &c. &c.
eminentissimo,

ut &

Nobilissimo, Amplissimo atq, Prudentissimo
DNO. CHRISTIANO Zeisen /
Inclytæ Reip. Hallensis Consuli Gravissimo, Gymnasiq;
ejusdem civitatis Inspectori spectatissimo,

nec non

Summè Reverendo atqve Excellentissimo
DNO. JOH. CHRIST. OLEARIO,
S. S. Theol. Doctori Celeberrimo, Ecclesiæ ad B. Virg.
Pastori Primario vigilantissimo, Scholarchæ item Gravissimo,

DOMINIS PATRONIS, EVERGETIS
ac PROMOTORIBUS suis summâ cum curâ
avitermùm Colendis

hasce exiles ingenii sui primitias

fidæ græciæ mentis interpretes
humiliter consecrat

PRÆSES.



קיוותי יהוה :

PROOEMIUM.

DEr vetusta controversia est, & à longis abhinc temporibus in hunc usqve diem agitata, quã inter moralium Doctores disputatur, *utrum ipse sibi quis injuriam facere possit, nec ne?* Divinus Plato inter Philosophos Princeps est, & si à Socrate discesseris, primus, qui moralem civilemqve doctrinam scriptis illustrare cœpit; Sed idem & is est, qui nonnullis disputationi huic ansam præbuisse censetur. Scripsisse enim dicitur L. IV. de Republ. *Neminem posse alteri injuriam facere, nisi prius erga seipsum injustus fuerit;* & contra hanc Præceptoris sui sententiam discipulus disputare existimatur L. V. Eth, ad Nic. Enimverò huic opinioni, vel potiùs conjecturæ, quid veri subsit, falsivè, etsi mihi judicandum non sumo; fateri tamen necesse habeo, Platonem ab aliis hæc in re excusari, quod vel ex *Theophili Golii P. quondam Argentor. Epitome Doctr. Mor. L. V. c. XI. p. m. 223.* cuius licet perspicere. Ut autem hæc sese res habeat, prima saltem controversiæ origo incerta manet, ipsa ipsius antiquitas non item. Hæc enim ex solò Aristotele, ejusq; L. V. ad Nic. c. IX. & XI. satis superqve demonstratur. Ut adeo mirum sit, argutam hanc & exilem quæstionem, ut Philippus vocat, etiamnum durare, & nunc affirmativam, nunc negativam sententiam suos defensores reperire. Non vacat nunc, nec etiam attinet, omnes sigillatim cumq; suis quemqve

argumentis recensere, atque in aliis defendendis, in aliis
verò refutandis tempus chartamque consumere. Dice-
mus statim quod res est, & quem in finem controversiæ
hujus meminisse libuerit, indicabimus. Standum nimi-
rum pro Negativâ, & dicendum, homini à se ipsò injuriam
fieri non posse, si de injuriâ propriè ac strictè dictâ, rectèq;
definitâ sermo habeatur. Sumitur autem injuria propriè
ac strictè, si non pro qualibet re injusta, aut damno, vel
læsione in genere &c. sumitur, sed *pro malitiosâ alterius læ-
sione contra legem & patientis voluntatem.* Quæ insimul
definitio recta ac genuina est injuriæ, quam debemus *Ex-
cellentissimo Dno. Wöhrnsee, Dno Patrono ac Præceptorî
nostro colendissimo.* A quâ qui diversas proferunt descri-
ptiones, vel alia tantùm verba afferunt, vel descriptiones
planè incongruas. Quàm clarè verò ex data definitione
sententia nostra firmari queat, explicare facillimum foret,
si id in præmio requireretur, nec dicendum potius esset,
cur rei hujus mentionem jam facere voluerimus. Scili-
cet cum institutum nostrum sit, probare, quod certò casu
furtum rei propriæ factum sit, veriti sumus, ne illâ, quam
jam modò rejecimus, opinione falsâ laborare videremur.
Etenim positò, quod furtum rei propriæ fieri posse statua-
mus, ultrò sequi videtur, quod statuere debeamus, homi-
nem etiam sibi injuriam facere posse; ideo, quia furtum cum
injuria semper conjunctum est. Accedit, quod ipsi nostræ
sententiæ Patroni adversariis sæpius obvertere soleant:
Neminem sua sibi ipsi furari aut rapere &c. adeoque nec
injuriam facere posse: quibus ipsis itidem thesis nostra con-
traria videtur. Sed omninò videtur tantùm, reverà au-
tem non est. Neque enim ea, quæ nunc stabilienda erit
sententia nostra infert id, quod hucusq; negavimus; Neque
etiam reverà effato Patronorum nostrorum contrariatur.
Constabit hoc cuivis, qui rem intentius pensitaverit;
Hanc

Hanc igitur ut feliciter nunc proponamus, DEUS immortalis clementer faxit!

§. I.
CASUM illum, quò de secundum rectæ rationis dictamen sententiam dicere constituimus, descriptum invenimus in *Democrito Ridente* Jo. Petri Langii, ex Joach. Camerario, celeberrimo illò Lipsiensium Professore, hunc in modum referentis: *Frumentum*, inquit p. m. 23., *emerant duo, longò amicitia usu familiares: sed equaliter divisum, inq; acervos duos congestum, separatim relinquunt, curaturi postridiè ad se deferendum. Horum alter animò perversò & infidò, cum surripere amico ipsius partem statuisset, ne falleretur in tenebris, vespere crepusculò, palliolum suum expandit super acervo amici. Is verò paulò post cum venisset, inspecturus frumentum, primum mirari; max agnitò amici palliò, nihil etiam fraudis suspicans, secum cogitare, non esse æquum pati, ut propriò palliò alterius frumentum intectum sit, ac: Quanta, inquit, ista benevolentia vis ac magnitudo? Atquè fieri non oportet, imò ipsius protegi rectius est: Et simul de suo acervò pallium detractum super amici acervò explicat. His peractis cum jam caligo noctis omnia suppleret, aderat ille fur in tenebris, & manu prætentans querebat pallium. Quò contredatò, suum frumentum festinatà operà ad se deportat, in opinione ac spe furci, nihil lucratus nisi vigilias & solitudinem nocturnam. Ita casum posuimus, verus an fictus sit, parum solliciti: Sufficit enim, quod non sit impossibilis. Probabimus itaq; Sempronium (hoc enim furunculo impostero nomen esto) dictò in casu furtum rei propriæ commisisse.*

§. II. Liqvet verò unicuiq; opus hòc locò quam maximè esse evolutione termini Furti. Originem quidem vocis ut inquiramus, non est; quòcunqve enim locò vocabulum natum sit, honestò vel inhonesto, ad sententiam pronuntiandam id nihil affert. Usus termini majori paulò curà evolvendus est: Hunc enim, non originem, leges spectare solent. Est verò ille vel *Proprius* vel *Improprius*; & hic rursus vel *Bonus* vel *Indifferens* vel *Malus*. Illò modò

sumitur pro occultò quidem, sed licitò tamen factò, ut ap. Barcl. Argen. L. I. c. IX. & XII. Sic in verbo *Furari* significatio clam sed legitimè aliquid auferendi obtinet. I. Sam. XXXI. 12. II. Reg. XI. 2. II. Chron. XXII, 11. ut Petrus Ravennellus notat Bibl. S. p. m. 1066. col. 1. etsi primus locus huc spectare non videatur, proqve eò rectius substituatur II. Sam. XXI. 12. Hùc quoqve refer significationem Furti, quã stratagema bellicum, justum ac legitimum, denotat: cuius exempla peti possunt ex Grotiò de J. B. & P. L. III. c. I. §. 6. n. 2. *Istò* modò accipitur, quando brutis tribuitur, in quæ nec bonitas moralis nec malitia cadit; It. quando Objectum notat, circa quod actio occulta, licita vel illicita, suscepta est. *Hòc* deniq; modò *generalissimè* sumitur pro qualicunq; factò malo seu illicito, ut ap. Salvianum, qui: *Omnes, inquit, furta faciunt, qui illicita committunt: Specialiori* v. ratione pro tali speciatim, quod in occultò geritur; Quælia sunt amores clancularii, stratagemata injusta, impiæ fraudes quæcunqve &c.. Nulla harum; acceptionum h. l. attenditur, ad *propriam* itaq; est deveniendum.

§. III. Sicuti verò Augustinus L. II. de Doctr. Christ. c. X. propriam vocabulorum significationem eam esse dicit, *cum iis ipsis rebus significandis vocabula adhibentur, propter quas instituta sunt*: cit. Becmanno in Orig. LL. p. m. 117. Ita nunc indaganda erit res illa, propter quam furti vocabulum primariò est institutum. Hanc feliciter, nì fallor, haud inveniemus, quàm inquirendo, quid per furtum in VII. decalogi præcepto *principaliter* intelligatur. Si quidem ibi in propriâ significatione Vocem furti adhiberi, nemo potest dubitare. At enim verò id satis aptis verbis describere adeò difficilè est, ut vix duobus Interpretibus de descriptione secum invicem conveniat. *Ablatio rei alienæ invitò Domino* descriptio furti communissima est. D. Augustinus ap. B. Danhavv. Coll. Decal. Disp. XVII. §. I. ait:

Fur-

*Furti nomine intelligitur bene omnis illicita aliena rei usur-
patio. Ipse B. Danhavv. l. c. latius hinc pro omni rei aliena
sublatione invitò Dominò, tam apertà quàm clancularià, vo-
cem furti accipi asserit, & 4. rationibus confirmat. Jo. A-
zorius P. III. Instit. Mor. L. V. c. XI p. 317. A. latè sumen-
dam eam esse notat, prout omnem injustam rei aliena acce-
ptionem designet, sive ea per vim fiat, ut rapina, seu occultè,
quod propriè (rectius dixisset: strictius & specialius loquen-
do) furtum; seu fraude vel aliò modò committatur in con-
tractibus, emtione, locatione, usura, Simonia &c. Alios si
evolveris, alios qq. describendi vel explicandi modos in-
venies, de quibus omnibus tamen nostrum jam non est ju-
dicare. Cum autem nihilominus necessum sit, ponere
aliquam furti descriptionem, secundum quam de Sempro-
nii facto sententia ferri queat, ideò liceat nobis id ipsum
propriè & generaliter sumtum hunc in modum delineare,
quod sit peccatum, quò quis re alienà Dominum ipsius in-
vitum injustè privat, ut dominus inde nocumentum acci-
piat. Ubi quidem vox privandi neminem debet offende-
re, quandoquidem ea varia illa vocabula, aliis adhiberi so-
lita, ut sunt: auferre, sufferre, usurpare, accipere, retine-
re, rapere &c. optimè complecti posse videtur. Adhibe-
tur autem illa non in sensu Philosophico seu rigoroso, sed
Grammatico, quandam cum illo analogiam habente.
Quemadmodum enim priori modò privatio est carentia
vel absentia rei in subjecto capaci inesse debitæ, ut descri-
bunt Philosophi: Ita dicimus illum, qui furtum facit, pri-
vare alium re suâ, quia facit ut careat Dominus eâ re, vel ut
ea res à Domino quasi absit, quæ tamen ipsi jure debebatur.
Atq; talis iniqua, & furti nomine digna, privatio tam mul-
tis committi potest modis ut omnes percensere nimis lon-
gum foret. Suffecerit nunc annotasse, furtum consistere
formaliter in eò, ut quis Dominum re suâ privet, defraudet
aut*

aut spoliet injustè, qualicunqve etiam id modò aut ratione fiat. Cætera descriptionis momenta quod attinet, in iis parum vel nihil ab aliis recedimus, modò ritè unumquodq; explicetur, quod uberius tamen declarare chartæ angustia, lege descripta, prohibet.

§. IV. Nunc omnium maximè necessarium est, ut moneamus, in datâ descriptione ritè explicandâ non attendendum solùm esse *modum Grammaticalem*, qui nuda verba, prout jacent, explicat: Quâ ratione nemo furtum propriè dictum committeret, quàm qui re *reverà* alienâ Dominum ipsius *reverà* invitum injustè privaret *actu*; Sic enim justò angustius furtum propriè ac generaliter acceptum descriptum foret, quandoquidem naturam suam omni peccato, directò contra VII, Dec. Præc. designato, non communicaret. Sed imprimis respiciendus est *modus explicandi moralis*, (ut ita loqui liceat) vel qui talem sensum verbis insimul attribuit, qualem iudicium morale vel conscientiaè iisdem imponit. Ita autem comparatum est cum iudicio hòc morali vel conscientiaè, ut non tantùm id v.g. pro adultetio, aut sacrilegio vel furto reputet, cum quis concreditur cum non-conjuge, vel aufert rem sacram aut alienam aliam, quæ *reverà* tales sunt; sed etiam, cum quis concreditur cum non-conjuge, vel aufert rem sacram vel alienam, quæ *saltem secundum suam opinionem vel cupiditatem aut intentionem tales existunt*. Omnis enim, ut Moralistaè ajunt, actus internus efficax voluntatis, benè vel malè agendi, opere quidem ob defectum opportunitatis, vel perficiendi facultatis non completus, alioqui tamen, si nullum scilicet impedimentum vel error intervenisset, certissimè perficiendus, æqualem coram iudicio conscientiaè bonitatem vel malitiam essentialem & internam habet, ac perinde laudem vel vituperationem sortitur, ac si opere ipsò completus esset. In
quò

quò quidem iudiciò conscientia iustissima iudex est, ideò,
quia homo, in quò talis actus voluntatis efficax fuit, tan-
tum pro libertate suâ ad bonum vel malum peragendum
attulit, : quantum quidem ipse afferre potuit : Id quod
exemplò clarius evadet. Atquè ut ne longius à scopo
abeamus, ponamus, in hòc vel istò homine talem actum
internum voluntatis efficacem &c. furtum faciendi ex-
stitisse : Hic homo coram conscientia suâ iudice profectò
æqve furti reus erit, ac si furtum ex asse & voto perfecif-
set. Ratio est : Quia tantum iste ad furtum faciendum
pro libertate suâ attulit, quantum quidem afferre potuit.
Nam primùm dictamen rectæ rationis, quod generatim
omne turpe fugiendum; speciatim suum cuiqve tribuen-
dum, abs alienis abstinendum esse, & neminem cum alte-
rius detrimento locupletiozem fieri debere dicitat, ita
neglexit, ut reclamante illò furtum committere decreve-
rit, de mediis faciendo facinori aptis cogitaverit, iisdem-
qve electis ipsò opere crimen exequi conatus sit; imò for-
tassis post conatum illum, per impedimentum aliquod
aut quendam errorem irritum factum, non animadversò
impedimentò vel errore, exsecutum se esse ex asse, quod
committere secum constituerat, facinus, planè persuasus
sit: Quia sc. id ipsum certissimè perfecturus ex animi senten-
tia fuisset, nisi impedimentum vel error intervenisset.
Hic profectò, *cum factum excludit necessitas*, ut Bernhar-
dus loquitur ap. Dannhavv. Dec. Coll. Disp. XVI. Q. XI.
p. 832. conscientia *voluntatem pro facto* habet, nec even-
tum aut quid fiat, sed *propòsitum* vel intentionem, animum
aut ejus propositum spectat, talemqve adeò actum æqve
legi de non auferendis alienis (in hòc casu) contrarium,
vituperandum ac damnandum esse iudicat, ac si opere
ipsò perfectus ex asse & voto agentis foret. Jam cum
modum essendi seqvatur modus dicendi, ideò iudex ille,
qui in nobis est, illum actum eò etiam nomine appellat,

B

quò

quò, opere ipsò completus, appellandus fuisset; scapham enim scapham vocare præsertim conscientia solet. Quorum procul dubio spectant illa Ambrosii, quæ ex L. I. Offic. c. 30. citari solent: *Affectus tuus nomen imponit operi tuo, quomodo à Te proficiscitur, ita estimatur.* Atque rebus ita stantibus nemo non, opinor, intelliget, descriptionem furti non interpretandam solum esse de *Objecto, Requisito formali & Eventu*, nudè & citra omnem ad animum vel intentionem aut opinionem furantis respectum consideratis; quin potius respectum hunc in explicatione applicationeque descriptionis maximoperè attendendum venire, atque adeò illum etiam, qui re alienà Dominum ipsius invitum (ut utrumque secundum suam saltem opinionem tale existat) injustè privare plenà certaque proresi conatus est, furtum propriè tale commisisse dicendum esse. Postquam itaque, quoad fieri potuit, furtum in proprià suà sed generali significatione descriptum dedimus, infra sumus demonstraturi, tale omninò furtum à Sempronio, ut ut rem suam abstulerit, esse perpetratum.

§. V. Sed ut ne justò rigidiores simus in Sempronium, distingvendum erit porrò inter Furtum *propriè* quidem sed *analogicè*, & furtum *propriè* atque *insimul rigorosè* dictum. Equidem utrumque de formali ratione furti, hætenus descripti, realiter participat, sed inæquali tamen modò. Posterius enim cum quâdam quasi eminentiâ furtum est, prius non item. In illo namque actus voluntatis internus opere externò ex asse & votò agentis totus completur ac consummatur; (vel proximè saltem consummari potuisset, sicuti fit cum e. g. fur *ἐπ' αὐτοφώρῃ ἀλίκεται*, ut loquuntur Græci,) atque sic *actûs* illius *interni malitia extensivè & materialiter* (ut loquitur Gabr. Biel ap. B. Dannh. locò prox. cit.) *augetur*, quod verò non fit in Priori. Atque hujus non illius generis furtum à Sempronio commissum esse statuimus.

§. VI.

§. VI. Porro notandum discrimen inter furtum *moraliter*, & furtum *civiliter* tale, vel quod idem, inter Furtum, quod in foro interno, conscientia ac Poli, & illud, quod in foro externo, civili atq; soli tale habetur. Rursus eadem utrumque furtum proprie dictum est; Differt tamen unum ab altero præcipue his modis: (1) Latitudine: Omne enim furtum posterioris generis, subinvolvit furtum prioris generis; sed non viceversa. (2) Subjecto. Hoc enim in furto, moraliter tali, potest esse homo quivis, cujusvis status sive conditionis; In furto vero, civiliter tali, vix alius potest constitui, quam qui superiori alicui subest potestati humanæ, atq; adeo pœnam, à iudice humano infligendam, sustinere debet. At vero *fures privatorum tantum furtorum in nervo atq; compedibus etatem agunt; Fures Publici in aurò & purpurâ*, ut ait Cato ap. Gell. L. XI. N. A. c. 18. (3) Objecto. Furtum enim civil. tale fit tantum, secundum ipsos JCtos, in re mobili; moraliter vero tale æquè in immobili ac mobili. Sic quoque illud est solum rei revera alienæ, uti vel ex ipsis JCtis nonnulli judicant; hoc vero fieri etiam potest in re, quæ aliena tantum putatur. (4) Fine. In foro enim seculi non nisi is, qui lucrificandi causâ rem alienam surripit, furti reus habetur; quod intentum tamen lucrum, quæ tale, ad furtum moraliter sumtum non requiritur. (5) Effectu. Fur enim civiliter talis lædit societatem & Remp. adeoque punitur ordinariè & de jure à iudice; moraliter vero tantum talis vel planè non, quia non adeo lædit societatem aut Remp., vel extraordinariè, ob alias adhærentes circumstantias, pœnæ subjicitur. Alia præterimus, & saltem istiusmodi *surfuris* furem, qui *moraliter* talis audit, Sempronium fuisse judicamus.

§. VII. Unicum adhuc supererit addendum, antequam ad rationes probandi procedamus. Nempe de termino *Rei propria*. Dum enim probaturi sumus, Sempronium furtum rei propriæ commisisse, non id intelle-

ctum volumus *Theologicè*, quasi Sempronius rem suam turpiter dissipaverit, adeoque seipsum prodigè perdidit quâ ratione etiam in VII. *Præceptum impingi potest*, uti inquit Dannh. l. sæp. cit. Disp. XVIII. §. 15. Nec *Juridicè*, quasi Sempronius rem suam ap. alium depositam, vel alii pignoris locò datam &c. furtim abstulerit; quò ipsò etiam nonnulli furtum rei propriæ committi posse perhibent; Sed *Ethicè & Moraliter*, quod nimirum Sempronius dictò in casu, utut rem reverà suam abstulerit, nihilo tamen minus furtum commiserit. Et furtum quidem (1) propriè; interim tamen (2) analogicè & (3) Moraliter tantum tale.

§. VIII. Atque nunc statu quæstionis satis dilucidè constitutò, pro demonstrandò primò hunc in modum ratiocinamur: *Cuicunque Sempronii factò genuina propriè dicti furti descriptio competit, in illo ipsò Sempronius rectè dicitur furtum propriè dictum commisisse. Atqui recensito huic Sempronii factò, quò rem suam pro alienà abstulit, genuina &c. E. De Majori nullum potest esse dubium; fundatur enim in Canone, qui non tam probabilis, quàm necessaria est veritatis: Cui competit descriptio vera ac genuina, eidem & id, quod describitur, competere necessū est. Minor autem constabit ex applicatione datæ nostræ descriptionis ad recensitum factum Sempronii, explicando nimirum eam modò morali, & attendendo sensum ejus, quem iudicium conscientiae infert, vel respiciendo propositum animi, vel intentionem in Sempronio. His enim consideratis, rectè Sempronius dicitur, re alienà Dominum ipsius invitum injustè privasse, ut Dominus inde nocumentum acciperet. Erat enim talis in Sempronio actus voluntatis internus efficax furtum faciendi, qui quidem ipsò opere ob defectum opportunitatis, vel ob interpositum obstaculum ex votò completus non fuit, hoc tamen remotò à Sempronio certissimè perficiendus fuisset; quod ex relatione*

tione casûs allati facilè intelligitur. Nam dicitur ibi Sempronio animò perversò & infidò. surripere amico ipsius partem statuisse; de mediis aptis sibi prospexisse, atq; hinc, ne falleretur in tenebris, palliolū suum super acervo amici expandisse; Pòst, tempore secum constitutò, adfuisse, & prætentando manu, pallium suum, ipsumq;ve amici frumentum quæsivisse; Porrò contrectatò palliò frumentum festinatà operà ad se deportasse; Idq; *in opinione ac spe furti*: Ut adeò errore non animadversò primùm, exsecutum se esse ex asse, quod committere sibi proposuerat, servile probrum, planè persuasus fuerit. In quà persuasione dum hæsit, quis dubitet, quin ipsa ipsius conscientia talem ipsi Syllogismum sapius exhibuerit: Quicumq; re alienà Dominum ipsius invitum injustè privavit, ut Dominus nocumentum inde acceperit, ille furtum commisit: Atq;ve Tu jam modò re alienà &c. E. De Majori, dixit procul dubio, non est quod dubites; nòsti enim ex principio Theoretico tecum nato: Impossibile esse idem simul esse & non esse: Minorem tibi demonstro: Frumentum sanè erat alienum: Sin minus; Dic, quo jure ad te spectaverit. Dominus erat invitus: Separaverat enim suum acervum à tuo, æqvè, ac tu, curaturus postridiè ad se deferendum. Et positò, amicū tuum fortè non invitum fuisse; Tibi tamen nondum de consensu ejus constitit, imò invitum ipsum esse planè persuasus fuisti. Et nihilominus tamen privasti eum injustè re suà; Non enim quicquam tibi juris in frumentum amici competiit: Non in pœnam, quæ nulla tibi ab eò sumenda erat; non in compensationem certi & liquidi debiti id fecisti (quanquam ne sic quidem rectè fecisses;) nullo enim nomine tibi obstrictus est. Non alià justà de causà, sed eum solùm in finem, ut nocumentum acciperet amicus tuus, ex quo turpe quoddam lucrum ad te redundaret. Vides Te furem esse? O pessime! Atq;ve ita nullum dubium est, quin factò Sempronii recensito dicta furti propriè sumti descriptio competat, quod omnium maximè erat demonstrandum. Sic E. & Majore & Minore

stantibus inconcussis, stabit quoque Conclusio illata: Quod
nim. Sempronius in facto recensito, quò suam rem pro alienà
abstulit, furtum propriè sumtum commississe rectè dicatur:
Quæ brevius ita redduntur: Sempronium Furtum rei pro-
pria fecisse.

§. IX. Primò itaq; monstratò, stabiliendum est secun-
dum, Hunc E. in finem ita arguimus: *Quicumq; actum suum
Voluntatis internum furandi opere externo ex asse & votò non
complevit, nec proximè jam consummare potuit, ille non nisi
furtum analogicè tale commississe dicendus est. Atq; Sempro-
nius actum suum voluntatis &c. E.* Major constat ex §. 5. Mi-
nor patet ex casu. Volebat enim Sempronius frumentum a-
mici, clam & vespere crepusculo, auferre; hinc illud palliò suo
tegebat: Sed tallebatur miser, & suum frumentum pro aliendò
deportabat, nihil lucratus, nisi vigiliis & solitudinem noctur-
nam. Ex quo prius minoris membrū satis superq; liquet. Po-
sterius quod attinet, illud inde manifestum est, quia Sempro-
nius in firmissimà erat persuasione, quasi illud ipsum, cui inte-
ctum pallium esset, frumentum, amici frumentum esset; A-
deoq; Sempronius prius actum suum internum, opere exter-
no, ex animi sui sententià consummare haud poterat, quàm
cognosceret aliunde, non alienum, sed suum frumentum esse,
quod palliò inteectum foret.

§. X. Ad tertium nunc properamus, pro eò confirman-
dò ita primùm concludentes: *Quicumq; furtum analogicè tan-
tùm tale commisit, ille etiam furtum non nisi moraliter tale per-
petravit. Atq; Sempronius furtum &c. E.* Major patet, quia
furtum analogicè & f. moraliter tale, utut conceptibus non-
nihil differant, à parte rei tamen unum idemq; sunt, adeoq; ab
uno ad alterum benè concluditur. Minor constitit §. præc.
unde stat conclusio. Deinde hòc quoq; modò licet arguere:
*Quicumq; animò furandi aufert rem, quam putat solùm alie-
nam, reverà tamen non est, ille furtum moraliter tantùm tale
committit. Atq; Sempronius &c. E.* Majoris connexio in eò
niti-

nititur, quia ejusmodi impeditus, & per errorem irritus factus affectus furandi in solo iudicio morali pro furto censei solet; secus atque in foro civili, ubi non nisi is furti reus habet, qui rem revera alienam vel contrectat vel actu ipso amovet. Cui assertioni non obstat, quod Jctis *aliquando etiam sua rei furtum quem committere dicatur; Illis namque casibus, qui exempli loco afferuntur, si rem diligentius examines, non tam rei sua, quam possessionis aut alterius juris, quod alius ea in re habet, furtum committitur;* uti ex ipsis Jctis nonnulli solent admonere. Stat itaque Major. Minor vero ex precedentibus clara. E. de conclusionis veritate nullum dubium.

§. XI. Atque ita de facto Sempronii pro exigua ingenii tenuitate cognovimus, & furtum rei propriae hoc in casu commissum esse demonstravimus. Quam sententiam nostram obfirmamus verbis Azorii: *Est advertendum, inqvientis l. sup. c. p. 315. C. per accidens in re propria posse furtum committi, quantum ad DEUM & conscientiam. Velut si quis re sua utatur, credens esse alienam, tunc enim agit contra conscientiam;* Ubi tamen terminus: *per accidens sinistrae, vel in praedivium nostri, non est explicandus, quin potius ejus interpretandi & ad nostram mentem applicandi jus & facultatem integram nobis retinemus, solenniter ideo super hoc, quod dicitur, protestantes.*

§. XII. Sequerentur nunc afferenda in medium illa, quae in contrarium nobis opponi possent. Sed fatemur ingenuè, paucissima ejus generis nos invenisse, aut certe talia, quae contraria nobis videntur magis, quam sunt. Primum jam supra adduximus, ubi dicebatur: *Neminem sua sibi ipsi furari posse aut rapere.* Quod, si speciatim de Sempronio efferatur, è diametro nobis contrarium esse videtur. Sed dico rursus: Videtur, non est. Qui enim illud negant, ut sunt Theoph. Golius l. sup. c. p. 223. B. Wendelerus Phil. Pr. L. I. Sect. II. c. X. q. 6. p. 400. aliique, non negant, posse quem rem suam pro aliena auferre, & sic furtum in conscientia committere; sed hoc, quod possit quis sciens & volens (voluntate plena atque ordinata) rem suam aufer-


auferre, & nihilominus furtum propriè tale committere. Apparentem E. contradictionem solum esse quivis videt.


§. XIII. Alterum itidem jam adfuit, quod in formâ fortassis ita se haberet: *Qui furtum rei propriae commisit, ille sibi ipsi injuriam fecit. Atqui Sempronius &c. E. Conclusio, dici poterat, est absurda; etiam secundum nosmet ipsos. E. vel Major vel Minor falsa erit. Non Major; Furtum enim cum injuria semper conjunctum est. E. Minor, quæ nostra est. R. Majorem omninò falsam esse, si nimirum subjectum ad nostram mentem, ut fieri debet, explicetur. Ex eò enim, quod quis rem suam pro alienâ aufert, absurdè colligitur: E. sibi quoque ipsi injuriam facit. Quis poterat enim iste injuriam sibi facere, qui nullam planè sibi læsionem infert? Certè genere remotò, removetur quævis ejus generis species. Cum E. tantum absit, ut quis, qui dictò modò furtum rei propriae committit, læsionem sibi vel damnum inferat, ut potius lucrum fecisse se arbitretur, Majorem apertè falsam esse, palàm est. Rationem quod attinet, illa non probat quod probare debebat. Probat enim tantum, furem rei propriae injuriam facere: Quod & ipsi concedimus, injuriam nempe in forò conscientiaë talem, quia firmiter sibi proposuerat, alterum injuriã afficere, certissimèque; affecisset, si res ex voto cessisset; At enim verò ratio præcisè id probare debebat, furem rei propriae sibi ipsi injuriam afferre.*


§. XIV. Ultimum illud est, quod in nonnullis ex Dnn. Jctis legitur. Sic ap. Ludvvell. tam in Exercit. quàm Comment. ad Instituta dicitur: *Furtum non esse regulariter rei propriae.* Ita quoque; Harpprechtus ad Instit. L. IV. p. 19. *Cum sua quisque rei, inquit, sit moderator & arbiter, fraus adeoque, furtum propriè sive regulariter in re propria admitti nequit.* Sed quis non intelligit, loqui viros hosce de furto civiliter tali, adeoque; nobis non contradicere, loquentibus de furto moraliter tali? Nec obstat, quod speciatim Harpprechtus dicat, furtum propriè dictum in re propria admitti non posse; Putamus enim, per id nihil aliud ipsum intelligere, quàm furtum in foro civili tale.


§. XV. Atque; hæc sunt, quæ pro ingenii modulo in medium afferre volumus. Non equidem ignoramus, aut certè non negamus, plura elegantia his meditationibus adjungi potuisse, & fortassis etiam debuisse; Sed condonabit L. B., quod corrigere scribentibus nefas fuit. Si quando, quod speramus, divina clementia meliora nobis subsidia concesserit, omnem tunc operam B. C. D. navabimus, ut tenuia hæc atque; exilia melioribus ac elaborationibus compensemus. Tu interim Vale, Lector Benevole, atque; id tantum petitis nostris largire, ut judices cordatè, ac tribuas

SOLI DEO GLORIAM!









FF III



ULB Halle 3
003 266 753




A white rectangular library label with a barcode and the text 'ULB Halle 3' and '003 266 753'.

A

VD77

Retro





42 40.

Q. D. B. V.

Furtum rei propriae certo casu commissum esse

Disputatione Morali

ad diem Septembr.

A. C. M. DC. LXXXVII.

publicè
demonstrabunt

PRÆSES

M. JOHANNES HIERONYMUS
DE WEDIG, Hallensis,

&

RESPONDENS

JOHANNES CHRISTOPHORUS Stange/
Longosal. Thuring.

H. L. Q. C.



WITTENBERGÆ,

Imprimebat MATTHÆUS HENCKELIUS, Acad. Typogr.

103y

see 41

